

REGINALDUS GARRIGOU-LAGRANGE O.P.
PROFESSOR EX FACULTATE THEOLOGICA

DE
DEO UNO

COMMENTARIUM IN
SANCTUM THOMAM AQUINATEM

TOMUS PRIMUS

PARS PRIMA SUMMÆ THEOLOGIÆ
A QUÆSTIONE I AD QUÆSTIONEM XXVI



TRANZALTI
(GALLIÆ, BITURIGIS)

MMXV

**Commentarium in Primam Partem Summæ S. Thomæ, De Deo Uno, auctore R.P.
Reginaldo Garrigou-Lagrange, O.P., Magistro in S. Theol.**

NIHIL OBSTAT:

**fr. Michæl Browne, O.P.
Magister in S. Theologia
fr. Thomas Philippe, O.P.**

IMPRIMI POTEST:

**die 9 Julii 1937
fr. Raymundus-M. Louis
Vic. Mag. Gen.**

IMPRIMATUR:

**Lutetiæ Parisiorum die 18 aprilis 1938
V. Dupin, v. g.**

SANCTÆ DEI GENITRICI
IN SIGNUM GRATI ANIMI
ET FILIALIS OBEDIENTIÆ
AUCTOR
LIBENTISSIME DEDICAT

© Editions *Schola Sapientiae*, 2021

Les textes du RP Garrigou-Lagrange étant libres de droit,
chacun peut librement copier les pages,
pourvu qu'elles participent à la formation en science logique,
et encouragent le développement de cette science.

Numéro :	Hors-série n° GL-1 de la revue des <i>Cahiers scolastiques</i>
ISSN :	2426-2064
Dépôt légal :	avril 2021
Edition :	Schola Sapientiae Lierne, 36230 Tranzault, France www.scholasapientiae.fr
Impression :	Pumbo.fr (Pays-Bas)
Directeur de la publication :	Mathieu Brulaire

INTRODUCTIO.

De momento ac significatione Summæ Theologiæ sancti Thomæ



um cursus iste sit explicatio *Summæ Theologiæ* sancti Thomæ, ad modum introductionis utile est prius ostendere momentum seu valorem et significationem hujusce operis sub duplici aspectu historico et theoretico. Notamus solum ex historia theologiæ ea quæ ignorare non licet.

1° In historia theologiæ distinguuntur generaliter tres principales periodi, scilicet periodus patristica a sæculo I° ad VIII, quæ est præsertim *apologetica*, *polemica* et *positiva*; periodus medii ævi a sæculo VIII ad XV, quæ est *scholastica*; periodus moderna a sæculo XVI ad tempus hodiernum, quæ est præsertim *positiva* et *critica*.

In successione harum ætatum apparet progressus theologiæ, prout in qualibet periodo quædam theologiæ functio speciatim eminet, secundum necessitates temporum; in hac evolutione aliquid vere providentiale manifestatur. Sic in periodo patristica, theologia est prius *apologetica* (sæculo II) ad conversionem mundi a paganismus ad christianismum, postea fit præsertim *polemica* contra nascentes hæreses in sinu Ecclesiæ, et istæ hæreses circa principaliora dogmata versantur, scilicet circa Trinitatem, Incarnationem, Redemptionem, ut arianismus, nestorianismus, monophysismus. Tunc theologia debet principia fidei defendere ex ipso Revelationis deposito; scil. ex Sacra Scriptura et Traditione divina, sic paulatim incipit theologia quæ dicitur *positiva*, id est quæ colligit diversa puncta doctrinæ revelatæ in Sacra Scriptura et divina Traditione contenta. *Theologia vero systematica*, quæ omnia credenda et cum fide connexa coadunat in aliquod corpus doctrinale nondum proprie existit in periodo patristica, nisi in quibusdam operibus sancti Augustini ut in libris *de Trinitate*, et sæculo VIII in opere sancti Joannis Damasceni *de Fide orthodoxa*.

In secunda autem periodo, scilicet medio ævo, constituitur proprie *theologia systematica*, seu *scholastica*, quæ didactice et speculative exponit ac defendit doctrinam fidei et ex ea deducit conclusiones theologicas. Sic paulatim constituitur corpus doctrinale in quo habetur, infra doctrinam fidei proprie dictam, *ipsa scientia theologia*, satis communiter in Ecclesia recepta, quæ superat sua universalitate et certitudine varia systemata theologica plus minusve ad invicem opposita. Hac ætate scribuntur *Summæ theologiæ*, quæ dicuntur Summæ prout integraliter tractant de omnibus materiis ad theologiam pertinentibus et prout hæ diversæ materiæ considerantur sub lumine altiorum principiorum et fidei et rationis.

In tertia periodo, scilicet moderna, theologia rursus fit præsertim *polemica* et *positiva* contra protestantes, necnon *apologetica* contra rationalistas. Hæc tertia periodus vocari potest *critica* seu reflexiva, et in hoc etiam apparet progressus theologiæ, prout reflexio critica sequitur normaliter cognitionem directam. Ut dicit enim sanctus Thomas I^a q. 79, a. 8: “scientia humana secundum viam acquisitionis vel inventionis, procedit a quibusdam simpliciter intellectis, quæ sunt prima principia. Et rursus in via iudicii resolvendo redit ad prima principia, ad quæ inventa examinat”. Sic in hac tertia periodo magis critice cognoscuntur et defenduntur contra protestantes et rationalistas ipsa fidei fundamenta, seu fontes revelationis, scilicet s. Scriptura et divina Traditione, et tunc constituuntur tractatus fundamentales de Revelatione, de Ecclesia, de Locis theologicis seu de methodologia sacræ theologiæ.

In hoc jam apparet progressus theologiæ, quæ sicut arbor crescit, et semper vitam suam renovat ex diligentiori cognitione fontium ex quibus tanquam ex radicibus procedit.

2° Notandum est quod tria splendoris tempora in historia theologiæ veniunt subito post magnum Concilium. Sic post I *Concilium Nicænum* ann. 325 contra arianismum, florent sæculo IV et initio sæculi V, Patres majores in ecclesia Græca, sanctus Athanasius, sanctus Basilius, sanctus Gregorius Nazianzenus, sanctus Gregorius Nysenus, sanctus Joannes Chrysostomus, sanctus Cyrillus Alexandrinus, et in occidente sanctus Hilarius, sanctus Ambrosius, sanctus Hieronymus, sanctus Augustinus, sanctus Leo magnus.

Pariter in secunda periodo post IV *Concilium Lateranense*, ann. 1215 contra Albigenses et Waldenses, florent sæculo XIII sanctus Albertus magnus, Alexander Halensis, sanctus Bonaventura, sanctus Thomas.

Denique tertia periodus splendoris est tempore *Concilii Tridentini*, 1545-1563; jam ante Concilium floruerunt Cajetanus, Sylvester Ferrariensis, et tempore Concilii ac postea Soto, Bannez, Tolet, Medina, Salmanticenses, Joannes a sancto Thoma, Suarez in theologia speculativa, omnes autem isti theologi sunt commentatores sancti Thomæ, etiam Suarez quamvis ipse suum proprium eclecticismum habeat. Eodem tempore in controversia eminent Cano, sanctus Robertus Bellarminus, Natalis Alexander, Bossuet, et in exegesi Maldonat, Cornelius a Lapide et alii.

Item post *Concilium Vaticanum* 1869-1870 scribunt renovatores theologiæ, Josephus Kleutgen S.J., Scheeben, Schwane, Hefele, et inter renovatores thomismi Sanseverino, Cornoldi, S.J., Zigliara O.P., etc., etc. Leo XIII in

pluribus Encyclicis, speciatim in Encyclica *Æterni Patris* 1879 valde commendat sancti Thomæ doctrinam.

Ex hoc autem quod hæ tres ætates aureæ sacræ theologiæ sequuntur magna Concilia apparet quomodo *Spiritus Sanctus dirigit*, per vivum magisterium Ecclesiæ docentis, *progressivam dogmatis intelligentiam* in ordine ipsius fidei, et infra fidem *ipsum theologiæ progressum*. Deus enim speciali providentia invigilat supra suam scientiam, scilicet supra theologiam, quæ proprie est scientia de Deo ex divina revelatione procedens. Et e converso in his tribus generalibus periodis magna concilia quodammodo *præparata sunt* per inquisitiones theologorum temporum præparationis; sic labor humanus est *causa dispositiva* et Deus Ecclesiam docentem assistens est *causa principalis* progressivæ dogmatis intelligentiæ in ordine fidei, et etiam consequenter ipsius progressus theologiæ.

3° Notandum est quod in qualibet harum trium periodorum inveniuntur tempus præparationis, tempus splendoris, tempus stationis sine progressu, tunc fiunt compendia et compilationes, denique venit tempus declinationis plus minusve profundæ ut sæculum VII, sæc. XIV, sæc. XVIII.

In tempore splendoris apparet præsertim mirabilis diversarum theologiæ functionum harmonia, ad quam non subito mens humana pervenire potest.

Generaliter enim *in tempore præparationis* adsunt duæ tendentiæ ad invicem quodammodo oppositæ propter quemdam excessum in una vel altera parte, quidam verbi gratia exaggerant necessitatem speculationis ut Alexandrina schola; alii autem exclusive vacant studio positivo Sacræ Scripturæ, ut schola Antiochena. Item in medio ævo, sæculo XII, Abælardus plus æquo rationi tribuens in rebus fidei, in multos errores incidit, dum e contrario plures in schola sancti Victoris nimis mystice et non satis rationaliter procedunt.

In tempore splendoris e contrario, speciatim sæculo XIII, doctores perveniunt ad mirabilem et altam conciliationem diversarum functionum theologiæ, quæ simul tunc perficitur sub aspectu positivo, sub aspectu speculativo et etiam affectivo. Omnes enim magni theologi tunc scribunt commentaria in Sacram Scripturam, profunde doctrinam Patrum præsertim sancti Augustini cognoscunt, et eminent in sapientia seu alta mysteriorum intelligentia pro vita christiana fructuosissima.

Hoc apparet sæculo XIII, in quo tamen remanent inter majores theologos notabiles differentiæ ingenii, inclinationis et methodi.

Sic *sanctus Bonaventura* in suis operibus, sancto Augustino plerumque adhærendo, platoniciæ philosophiæ potius quam aristoteliciæ favet, voluntatem intelligentiæ præponit, et mysticæ contemplationi præ theoricæ speculatione incumbit. Eodem tempore *sanctus Albertus magnus*, valde versatus in rebus philosophicis, philosophiam Aristotelicam ab erroribus commentatorum Arabum expurgat eamque ad usum theologiæ accommodat, tanquam instrumentum magis præcisum, exactum, quam Platonica philosophia.

Sanctus Thomas denique, perficiens ea quæ inceperat Albertus, ostendit valorem fundamentorum philosophiæ aristoteliciæ circa primas rationis notiones et prima rationis principia, nec non circa principia constitutiva tum rerum naturalium, tum naturæ humanæ; sic magis exacte determinat quodnam est objectum proprium intellectus nostri, et proinde quid superat omnino cognitionem nostram naturalem, imo cognitionem naturalem cujuslibet intellectus creati. Melius igitur quam antecessores sanctus Thomas distinxit rationem naturalem a fide supernaturali, utramque tamen consociavit, diversas theologiæ partes miro ordine logico exposuit prout theologia est de Deo in se, de his quæ a Deo procedunt, et ad Deum ordinantur; sic omnes materias theologicas in unum corpus doctrinæ collegit, cum qualitatibus quæ raro uniuntur, scilicet cum magna simplicitate simul et profunditate, nec non cum magno rigore logico simul et alto sensu inaccessibilitatis mysterii. Ideoque a Summis Pontificibus ejus doctrina jugiter summis laudibus celebrata est, et Leo XIII in Encyclica *Æterni Patris* scripsit: "Jamvero inter Scholasticos Doctores, omnium princeps et magister, longe eminent Thomas Aquinas, qui, uti Cajetanus animadvertit, veteres *doctores sacros quia summe veneratus est, ideo intellectum omnium quodammodo sortitus est*". Illorum doctrinas, velut dispersa cujusdam corporis membra, in unum Thomas collegit et coagmentavit, miro ordine digessit et magnis incrementis ita adauxit, ut catholicæ Ecclesiæ singulare præsidium et decus jure meritoque habeatur,...

"Illud etiam accedit, quod philosophicas conclusiones angelicus Doctor speculatus est *in rerum rationibus et principiis*, quæ quam latissime patent et infinitarum fere veritatum semina suo velut gremio concludunt, a posterioribus magistris opportuno tempore et uberrimo cum fructu aperienda. Quam *philosophandi rationem* cum in erroribus refutandis pariter adhibuerit, illud a se impetravit, ut et superiorum temporum errores omnes unus debellarit, et ad profligandos, qui perpetua vice in posterum exorturi sunt, arma invictissima suppeditavit.

"Præterea *rationem*, ut par est, *a fide apprimè distinguens, utramque tamen amice consocians*, utriusque tum jura conservavit, tum dignitati consuluit, ita quidem ut ratio ad humanum fastigium Thomæ pennis evecta, *jam fere nequeat sublimius assurgere*; neque fides a ratione fere possit plura aut validiora adjumenta præstolari, quam quæ jam est per Thomam consecuta."

In eadem Encyclica citantur plura testimonia Summorum Pontificum, et præsertim, veluti cumulus, Innocentii VI iudicium: “Hujus (Thomæ) doctrina præ cæteris, excepta canonica, habet proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum, ita ut nunquam qui eam tenuerint, inveniatur a veritatis tramite deviasse, et qui eam impugnaverit semper fuerit de veritate suspectus.”

Post sæculum XIII, incipit paulatim theologiæ scholasticæ prolapsus, sicut post ætatem Patrum majorum scil. post sæculum IV^{um} et V^{um} incœpit ætas Patrum minorum, a sæculo VI ad VIII.

Jam quidem initio sæculi XIV *Joannes Duns Scotus* in multis quæstionibus metaphysicis a synthesis sancti Thomæ recedit novamque scholam fundat. Duns Scotus dissentit a sancto Thoma præsertim in duobus: 1° Admittit novam *distinctionem*, scil. *formalem actualem ex natura rei*, quam possibilem existimat inter distinctionem realem et distinctionem rationis, dum thomistæ dicunt: distinctio aut antecedit considerationem mentis et est realis, aut eam non antecedit, sic rationis est, et non datur medium possibile. Hanc autem distinctionem formalem Scotus ponit quandoque loco distinctionis realis sancti Thomæ, v. g. inter essentiam creatam et esse, inter animam et facultates, ac facultates inter se, sic viam aperit nominalismo. Quandoque vero Scotus ad realismum immoderatum tendit, prout hanc distinctionem formalem ponit loco distinctionis rationis sancti Thomæ, v. g. inter attributa divina, et in eadem creatura inter diversos gradus metaphysicos, v. g. inter animalitatem, vitalitatem, substantiam et ens. Proinde *ens* concipitur *ut univocum*, nam formaliter distinguitur ante considerationem mentis a substantia tum Dei, tum creaturæ. Hæc nova doctrina metaphysica non est, juxta thomistas, absque periculo pantheismi, nam si substantia creata et substantia divina sunt *extra ens*, prout ab eo formaliter distinguuntur a parte rei, tunc nihil sunt, quia extra ens nihil est; et ens remaneret unicum¹. Insuper per viam formalismi, scholastica decidit ad subtilitates et discussiones verbales.

2° Alia innovatio Scoti pertinet ad ejus *voluntarismum*; sic tenet quod distinctio inter ordinem naturæ et ordinem gratiæ dependet a libero Dei arbitrio, ac si gratia non esset supernaturalis secundum suam essentiam, sed solum de facto. Ratione ejusdem voluntarismi, Scotus affirmat quod Deus potuisset aliam legem moralem naturalem statuere quoad officia inter homines, et sic posset revocare præcepta “non occides, non furtum facies”; sic Scotus viam aperit contingentismo et positivismo nominalistarum sæculi XIV².

Eodem fere tempore Rogerus Bacon, eruditionis prodigium, non tamen a temerariis opinionibus liberum, passim cum contemptu loquitur de Aristotelis philosophia, de Alberto Magno et sancto Thoma, quos pueros vocat.

Contra Scotum pro sancto Thoma scribit inter alios *Thomas de Sutton*, O.P. *Anglicus* a patria dictus († 1310) in Commentariis super quatuor libros sententiarum. Sed defensionem doctrinæ Scoti instituunt Petrus Aureolus O.M., Antonius Andrea O.M., Richardus de Mediavilla O.M., Gerardus de Bononia, ord. carmelit. utriusque scholæ opiniones conciliare nititur.

In toto sæculo XIV et ineunte sæculo XV paulatim theologia scholastica in discussiones sæpe verbales, cavillationes et subtilitates inutiles decidit. Ratio principalis hujusce prolapsus fuit revisiscentia *nominalismi*, secundum quem *universalia* sunt *meri mentis conceptus* vel voces communes; proinde ipsa natura rerum nequidem imperfecte cognosci potest, sive agatur de natura rerum corporalium, sive de natura animæ, ejus facultatum, sive de fundamento legis naturalis, aut de essentia gratiæ et de ejus essentiali distinctione a natura nostra.

Sic negant isti principium: facultates, habitus et actus specificantur ab objecto formali. Quapropter nominales, præsertim Guillelmus Ockam, sanam et altam doctrinam priorum magistrorum despicientes, excidium solidæ theologiæ scholasticæ præparaverunt, et viam aperuerunt erroribus Lutheri qui magistros nominalistas habuit in scholis civitatis Wittenberg.

Sæculo vero XV incœpit theologiæ scholasticæ instauratio cum Joanne Capreolo O.P. († 1444) qui vocatur princeps thomistarum, cum Joanne de Turrecremata O.P. († 1468) qui scripsit *Summa de Ecclesia*, cum Cajetano O.P. († 1534) thomisticæ doctrinæ egregius defensor, qui velut primus in scholis explicavit Summam Theologicam sancti Thomæ loco Sententiarum; eodem tempore Conradus Köllin O.P. († 1536) qui commentaria in eadem Summam scripsit et Sylvester Ferrariensis O.P. († 1523) in Summam contra Gentiles.

Hi ultimi theologi viam paraverunt theologiæ ætatis modernæ, quæ cum sæculo XVI incœpit, et prius debuit errores hujusce temporis confutare, scil. protestantismum, bajaranismum et jansenismum, qui sunt attenuationes Lutheranismi et negant distinctionem essentialem inter ordinem naturæ et ordinem gratiæ, ac adulterant notionem prædestinationis et motionis divinæ.

Ad confutationem horum errorum laboraverunt controversistæ inter quos eminent sanctus Robertus Bellarminus S.J. († 1621), Cano († 1560), Bossuet († 1704); theologi scholastici, ut, in Ordine Prædicatorum, Victoria († 1546), Soto († 1560), Bannez († 1604), Joannes a sancto Thoma († 1644), Gonet († 1681) et inter Carmelita-

1 Cf. VACANT, *Etudes comparées sur la philosophie de saint Thomas et sur celle de Duns Scot*. Paris 1891, p. 25.

2 Cf. ibidem, pp. 14-16; 19-20.

nos Salmanticenses optima commentaria in opera sancti Thomæ scripserunt; in Societate Jesu, Toletus († 1596), Suarez († 1617), Molina († 1600), de Lugo († 1660) aliam interpretationem Doctoris angelici proposuerunt, Suarez eclecticus inquisivit viam mediam inter sanctum Thomam et Scotum, et minus quam Molina reces- sit a doctrina thomistica de prædestinatione et gratia.

Hoc tempore in theologia positiva eminent Petavius, Thomassinus, Combefis, etc.

Sæculo vero XVIII^o theologia a suo splendore paulatim decidit, adhuc tamen inter thomistas Car. Ren. Billuart, et Card. Lud. Gotti clare et solide doctrinam Angelici propugnant, et sanctus Alphonsus Maria de Liguori opera præsertim moralia scribit, pro quibus meruit titulum Doctoris Ecclesiæ.

Denique, post revolutionem gallicam et bella temporis Napoleonis, cum pace rursus studia theologica, tutu positiva tum speculativa, paulatim floruerunt, et deinde Concilium Vaticanum maxime fovit theologiæ profec- tum, contra positivum et agnosticum, cujus fructus apparuerunt in modernismo a Pio X damnato. Hic Summus Pontifex sicut Leo XIII rursus valde commendat studium sancti Thomæ operum et scribit: “Magistros autem monemus, ut rite hoc teneant, Aquinatem vel parum deserere præsertim in re metaphysica non sine magno detrimento esse. *Parvus error in principio, sic verbis ipsius Aquinatis licet uti, est magnus in fine.*” (Ency. *Pascendi et Sacrorum Antistitum.*)

Codex Juris Canonici tandem, ann. 1918 auctoritate Benedicti XV promulgato, dicit can. 1366, n. 2: “Philoso- phiæ rationalis ac theologiæ studia et alumnorum in his disciplinis institutionem professores omnino pertrac- tent ad Angelici Doctoris rationem, doctrinam et principia, eaque sancte teneant.”

Hoc rursus dicitur in nova lege pro Doctoratu promulgata per Encyclicam Pii XI *Deus scientiarum Dominus*.

Hæc omnia testimonia sive Summorum Pontificum, sive theologorum qui semper ad Summam theologicam sancti Thomæ recurrunt manifestissime ejus valorem et significationem proclamant.

Omnes cognoscunt opera recenter scripta circa Summam theologicam, ut sunt Commentaria P. Buonpensiere O.P., del Padre O.P., P. Billot S.J., P. Mattiussi S.J., etc. et innumeri articuli periodicorum præsertim *Revue Tho- miste*, *Bulletin Thomiste*, *Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques*, *Angelicum*, *Gregorianum*, nec non multæ monographiæ circa hanc vel alteram partem hujusce *Summæ*, et articuli plurimi in *Dictionnaire de Théologie catholique* et in aliis hujusce temporis Encyclopediis.

DE METHODO SANCTI THOMÆ speciatim de Structura articulorum Summæ Theologiæ

Plures existimare videntur quod, antequam Cartesius *Discursum de Methodo* scriberet, philosophia traditio- nalis regulas legitimi processus mentis ad scientiam tum ædificandam tum docendam nondum plene et exacte cognoscebat. Plures alii e contrario putant quod Cartesius, qui historiam et antecessores suos despiciebat, facil- lime potuisset apud ipsos veras regulas methodi invenire; immo non desunt logici juxta quos scribi posset ad mentem Aristotelis et sancti Thomæ discursus de methodo magis scientificus quam cartesianum opus. Vellem solum in hoc articulo breviter exponere principales lineas methodi sancti Thomæ. Videamus primo, ad modum status quæstionis, quid de ea dicant plures hodierni, deinde examinabimus, quomodo solidum fundamentum hujusce methodi apud Aristotelem Angelicus invenerit ac ipse usus sit *analysisi* in inquisitione inductiva, nec non *synthesi* in demonstratione, denique quomodo analysim et synthesim intime conjunxerit sub divinæ contem- plationis lumine.

I. – De diversis judiciis circa hanc methodum.

Non desunt hodie qui dicunt: methodus sancti Thomæ est *nimis scholastica* et artificialis seu factitia, *non sa- tis historica et realis*. Est, ut aiunt, methodus *nimis a priori*, quasi semper per modum deductionis aut synthe- sis, non satis per modum inductionis et analysis, aut in ipsa analysi *nimis abstracta* est; immo *videtur quando- que confundere logicas abstractiones cum rerum realitate*. Quidam, inconscienter nominalistæ, hodie asserunt: “Sanctus Thomas loquitur quandoque de materia et forma, de essentia et existentia, ac si essent realitates di- stinctæ³”. – Certo quidem pro Angelico, ut scimus, jam ante considerationem mentis, materia *non est* forma, essentia creata *non est* suum esse; ideoque ante considerationem mentis materia distinguitur a forma, et es- sentia ab esse. Attamen forma et essentia non sunt, pro sancto Thoma, *id quod est*, sed *id quo* aliquid est tale,

3 Edgar de BRUYNE, *Saint Thomas d'Aquin*, 1928, p. 99: “Si l'on voulait s'attacher à la tradition de l'École, on serait amené à croire que dès ses origines, le thomisme a versé dans la confusion du logique et du réel... Il arrive à saint Thomas de parler de l'essence comme d'une réalité... Il raisonne sur la matière et la forme des choses corporelles comme s'il s'agissait de réalités distinctes et opposées.”

nec sequitur quod sint solum entia rationis, et non quid reale⁴. Sed multi hodierni nesciunt amplius distinguere inter abstractionem metaphysicam considerationis directæ et abstractionem logicam considerationis reflexæ⁵: ideo putant quod solum *id quod est*, est reale, scilicet ipsum *singulare concretum*; proinde pro illis *abstractum objectum* non solum est *non concretum* sed *non reale*, sic essentia hominis, essentia virtutis, essentia societatis etc. non essent quid reale; et tota metaphysica, non excepto contradictionis principio, ad logicam, ad abstractiones logicas, ad ens rationis reduceretur, seu, ut aiunt, ad *immoderatum intellectualismum* sine realitate et vita. Non tamen auderent explicite dicere: “abstractum principium contradictionis, scil. aliquid non potest simul esse et non esse, non est lex entis realis, sed solum lex logica operationum mentis, ut sunt syllogismi leges”.

Ad istud extremum autem perduceret hæc inanis objectio hodie satis diffusa.

Insuper plures dicunt: methodus sancti Thomæ sæpe procedit non secundum naturalem modum mentis, sed *modo conventionali scholarum sæculi XIII*, scilicet semper prius proponendo objectiones, tres saltem, quæ cum majori fructu postea proponerentur; nam initio mentem obnubilant potiusquam lucem afferant. Mirum est enim, addunt quidam, sanctum Thomam prius exponere errores, sub ista formula: “Videtur quod non”, postea tantum veritatem, sub brevissimo auctoritatis argumento, longius autem modo theoretico, ac denique objectiones antea propositas solvere.

Ideoque nonnulli hodie, in philosophia et in theologia etiam speculativa, ab ista methodo, ut aiunt, nimis scholastica recedunt. Jam quidem tempore Pii IX, ut patet ex XIII propositione Syllabi, plures dicebant: “Methodus et principia, quibus antiqui Doctores scholastici theologiam excoluerunt, temporum nostrorum necessitatibus scientiarumque progressui minime congruunt⁶”. Immo quidam, non considerantes profundam differentiam inter modum procedendi sancti Thomæ et methodum mere a priori seu syntheticam Spinozæ, videbantur admittere methodum sancti Thomæ et etiam sancti Bonaventuræ ex abusu deductionis philosophicæ ad rationalismum et pantheismum ducere, ut apparet ex propositionibus, quas sacra Congregatio Indicis subscribendas mandavit Augustino Bonnetty, anno 1855⁷.

Nunc quidam a methodo sancti Thomæ recedunt, præeligendo methodum historicam, non solum ad utiles et necessarias historiæ philosophiæ et historiæ theologiæ investigationes, sed plus minusve directe ad ipsam veritatem philosophicam aut theologicam cognoscendam. Hic modus procedendi jam quidem apparuit apud plures fautores evolutionismi idealistici, præsertim apud Hegelium, ac postea modo attenuato in multis modernorum operibus invenitur. Quidquid sit de his attenuationibus, hæc methodus, ut videtur, sua propria natura tendit ad confusionem philosophiæ cum ipsa philosophiæ historia, et sic constituitur quædam *philosophia historiæ doctrinarum*, plus minusve secundum evolutionismi placita.

Juxta hanc conceptionem, hodie non raram, inter omnia systemata, quæ in tempore secundum evolutionem idearum apparuerunt, nullum est *simpliciter verum*, sed quodlibet est *verum secundum quid*, per oppositionem nempe ad alteram doctrinam antecedentem, seu ad aliud evolutionis momentum jam præteritum; v. g. thomismus, ut aiunt, fuit *secundum quid verus* sæc. XIII per oppositionem ad doctrinam quorundam Augustinianorum, quam superavit; sed falsus est etiam non simpliciter sed secundum quid per respectum ad subsequens systema, quod altius est in evolutione idearum, sive ut antithesis, sive ut superior synthesis. Sic Scotismus postea veniens esset magis verus, vi ipsius progressus historici philosophiæ et theologiæ, quam sancti Thomæ doctrina; et quare non nominalismus Guillelmi Occam? Item eclecticismus Suarezii, sæpe inquirens viam mediam inter sanctum Thomam et Scotum, esset synthesis adhuc perfectior et initium novi processus et progressus apud modernos.

Si ita esset, nihil esset *simpliciter verum*, nequidem principium contradictionis, saltem ut lex entis et rationis superioris, ut fatetur Hegel, a fortiori nulla ex definitionibus receptis esset simpliciter vera, et proinde ex nulla erui possent veræ rerum proprietates. Non daretur *verum nisi secundum quid*, per respectum nempe ad statum actuale scientiæ, et potius per respectum ad præteritum jam superatum quam ad futurum ignotum. Imo ad cognoscendam veritatem relativam alicujus doctrinæ, oporteret plene cognoscere antecedentia evolutionis momenta, quæ conditiones apparitionis ultimi momenti fuerunt. Exempli gratia: ad cognoscendum quid debeat esse hodie conceptio nostra philosophica secundum intellectuales exigentias sæculi vigesimi, oporteret prius Kantismum et Hegelianismum transire, tunc rursus vitaliter cogitaremus thomismum, ut vere mentibus

4 S. Th. I^o, q. 13, a. 1, ad 2; q. 54, a. 1.

5 Secundum sanctum Thomam (I *Sent.*; d. 2, a. 3 c.; *de Potentia*, q. 7, a. 9), consideratio directa metaphysici, quæ vocatur *prima intentio*, fertur in rem conceptam, in ipsam realem naturam rerum singularium, v. g. in essentiam hominis, dum consideratio reflexa logici, quæ vocatur *secundo intentio*, non attingit objectum nisi secundum modum subjectivum quem habet in mente, v. g. considerat formalem universalitatem alicujus prædicati aut subjecti, vel leges syllogismi. Item *distinctio* dicitur *realis* quando antecedit considerationem mentis, *logica*, quando eam sequitur. Revera autem ante considerationem mentis, materia non est forma, immo separari potest ab ista ad alteram suscipiendam.

6 DENZINGER, n. 1713.

7 DENZINGER, n. 1652.

hodiernis proponi possit. Non tamen hæc nova cogitatio esset simpliciter vera, sed secundum quid tantum, per respectum ad statum mentis sæculi vigesimi, sicut cogitatio sancti Thomæ secundum quid vera erat sæculo decimo tertio.

Hæc autem veritatis conceptio non videtur differre a conceptione modernistarum, qui dicebant: “Veritas non est immutabilis plusquam ipse homo, quippe quæ cum ipso, in ipso et per ipsum evolvitur”⁸. Hæc autem propositio, si velimus res profundius considerare, præsupponit immanentismum seu evolutionismum absolutum, secundum quem ut aiebat Pius IX in prima propositione Syllabi: “Deus reapse fit in homine et in mundo... ac una eademque res est Deus cum mundo et proinde spiritus cum materia, necessitas cum libertate, verum cum falso, bonum cum malo et justum cum injusto”⁹. Equidem dictum est contra sanctum Thomam, ejus methodum, ac si ea non distingueretur a methodo Spinozæ, ad pantheismum perducere; et nunc nova methodus historica ad mentem evolutionismi ad oppositam pantheismi formam perducit. Spinoza enim omnia reducebat ad Deum immobilem, dum evolutionistæ Deum reducunt ad evolutionem universalem, juxta eos Deus reapse fit in homine et in mundo et nunquam proprie erit, ut aiebat Renan.

Sic nihil esset simpliciter verum, et nihil simpliciter falsum, non daretur nisi veritas relativa et falsitas relativa; solus relativismus esset absolutus.

Prædicta confusio historiæ et philosophiæ nec veri historici, nec veri philosophi desideriis respondet. Verus enim historicus vult ipsam historiam ex factis cognoscere, antequam constituatur incerta philosophia historiæ, et verus philosophus desiderat quidem historiam philosophiæ exacte cognoscere, sed non considerat doctrinarum posterioritatem in tempore quasi criterium seu signum earum veritatis relativæ, ac si hæc successio doctrinarum esset semper ac necessario *ascendens evolutio*, nunquam vero regressio et senectutis declinatio. Ex eo enim quod Scotus post sanctum Thomam venit, non sequitur quod ejus doctrina sit verior, et quod postea eclecticismus Suarezii adhuc perfectior sit.

Uti quidem debemus methodo historica in historia doctrinarum, et hoc certe maxime juvat ad intelligentiam status et difficultatis quæstionis, ut habeatur quasi panorama solutionum alicujus magni problematis. Sed in ipsa philosophia uti debemus methodo analytico-synthetica ei proportionata; in theologia autem argumentis primo ex auctoritate sacræ Scripturæ aut divinæ Traditionis, aut et iam Sanctorum Patrum, secundo argumentis ex ratione, non negligendo, ut patet, historiam problematum eorumque solutionum.

II. – De fundamento methodi sancti Thomæ apud Aristotelem

Si autem ipsa sancti Thomæ opera consideramus, videbimus quod Doctor communis Ecclesiæ historiam non despexit sicut postea Cartesius, sed, prout erat suo tempore possibile, usus est historia doctrinarum, assumens quidquid verum inveniebat tum in philosophis antiquis, præsertim in Aristotele, tum in Patribus aliisque Doctoribus Ecclesiæ. Immo sæpe et cum summa perspicacitate utitur historia errorum, in modo conficiendi objectiones, prout ipsa Providentia errores permittit ut melius elucescat veritas, sicut permittit mala fieri ut majora bona eveniant.

Si structuram generalem articulorum sancti Thomæ considerare volumus, in ea applicationem valde scientificam videbimus methodi, de qua prius longe tractaverat ipse Angelicus in Commentario in *Posteriora Analytica* Aristotelis, ubi est sermo de venatione definitionis realis, per divisionem generis et inductivam ac comparativam inquisitionem differentię specificæ, et ubi agitur etiam de demonstratione sive a priori, sive a posteriori et speciatim de medio demonstrativo.

Dum quidam hodie dicunt: architectura Summæ Theologicæ est factitia, sicut ea quæ in syncretismo eclectico heterogenea elementa mechanice et quasi per accidens conjungit, notant non solum omnes Angelici commentatores sed plerique hodierni historici, ut verbi gratia Rmus Dñus M. Grabmann¹⁰: Summam Theologicam esse a principio ad finem *totum organicum*. Ordinatio enim trium partium, continens triginta octo tractatus, tria millia circiter articulorum, et quasi decem millia objectionum, cum summa arte architectonica constituitur, secundum divisiones non accidentales sed in ipsa rerum natura fundatas. Et non obstante tanta quæstionum complexitate, totum ædificium doctrinale, ut dictum est, simplex in sua magnitudine remanet, sicut Ægypti pyramides aut sicut Gothicæ ecclesiæ cathedrales, quarum nequidem unum columnen mutari potest quin destruat perfectissima ædificii harmonia – Sed quodnam est fundamentum methodi hujusce doctrinalis constructionis?

Ad hanc architecturam profundius considerandam, animadvertendum est quomodo generaliter conficiuntur articuli secundum technicam expositionis scholasticæ, quam servat sanctus Thomas, dum didactice procedit,

⁸ DENZINGER, n. 2058.

⁹ DENZINGER, n. 1701.

¹⁰ *Saint Thomas d'Aquin*, trad. franç., p. 41.

scilicet in *Summa Theologica* et in *Quæstionibus disputatis*, quamvis ab ea sese liberet in *Opusculis* et in *Summa Contra Gentes*, ubi sæpe juxtaponit argumenta a lectore eligibilia, non explicite distinguendo directa ab indirectis, aut ea quæ sunt ex propriis principiis ab his quæ sunt ex communibus.

Hæc ars seu technica, quæ quibusdam videtur nimis conventionalis, revera normali progressui intellectus respondet in investigatione philosophica aut theologica veritatis. Ad quid enim ponuntur semper initio articuli *Summæ Theologicæ tres objectiones* sub hac formula: “Videtur quod non”? Ad quid in *Quæstionibus disputatis* sæpe incipit articulus per decem objectiones contra unam partem contradictionis et decem aut duodecim contra alteram?

Quibusdam videtur, has objectiones potius post veritatis demonstrationem ponendas esse. E contrario secundum methodum Aristotelis et quasi omnium doctorum, initio exponendus est *status quæstionis* et *punctus formalis difficultatis solvendæ*, circa quem versatur proprie *dubium methodicum*, de quo loquutus est Stagyrtes multo ante Cartesium, et sapientius quidem, non dubitando scilicet de reali valore primorum rationis principiorum, sed objectiones scepticorum solvendo (cf. I. IV Metaphysicorum).

Necessitas hujusce dubii methodici optime ostenditur a Sancto Thoma in Commento in I. III Metaphysicæ, c. 1, lect. 1: Dixerat enim Aristoteles ibidem: “Necesse est ad quæsitam scientiam nos aggredi primum de quibus dubitare primum oportet... Prius examinanda est difficultas, ἀπορία, solvenda...” Circa hoc Angelicus ait: “Sicut ille qui vult solvere vinculum corporale, oportet quod prius inspiciat vinculum et modum ligationis, ita ille qui vult solvere dubitationem, oportet quod prius speculetur omnes difficultates et earum causas... Illi qui volunt inquirere veritatem non considerando prius dubitationem, assimilantur illis qui nesciunt quo vadant, ... unde non possunt directe ire, nisi forte a casu... nec possunt scire quando inveniunt veritatem quæsitam, et quando non... Sicut in judiciis nullus potest judicare nisi audiat rationes utriusque partis, ita necesse est eum, qui debet audire philosophiam, melius se habere in iudicando si audierit omnes rationes quasi adversariorum dubitantium... Propter has rationes consuetudo Aristotelis fuit fere in omnibus libris suis, ut inquisitioni veritatis vel determinationi præmitteret dubitationes emergentes”. In hoc apparet spiritus criticus philosophi, nec est quid parum bene cognoscere difficultatem solvendam. Ita procedendum est saltem pro magnis et fundamentalibus quæstionibus, alioquin vera difficultas problematis quandoque ignoratur fere usque ad ultima verba thesis, aut nonnisi obiter tangitur in fine, in ultima objectionem.

Status autem et difficultas quæstionis solvendæ manifestantur ex oppositione solutionum quæ jam ab antecessoribus datæ sunt, seu ex oppositione argumentorum pro et contra. Ita procedebat Aristoteles, et pariter sanctus Thomas præsertim in *Quæstionibus disputatis*, in quibus initio exponitur oppositio, ut ita dicam, inter thesim et antithesim, antequam mens, plene difficultatem solvendam cognoscens, ad synthesim superiorem ascendat. Et hæc est pars veritatis contenta in methodo hegeliana, sed ab Hegelio adulterata. Sic auditores non sistunt in accidentalibus difficultatibus nec ponunt inutiles quæstiones, quæ mentem distrahunt, sed bene punctum formalem difficultatis jam ab initio attingunt. Ita construendæ sunt theses ad mentem Angelici et propterea initio ipse eas enuntiat modo interrogativo: “Utrum”... non vero modo indicativo; nam plena solutio non invenietur nisi in fine, et sæpe indiget multis propositionibus ut bene exprimatur.

In *Summa Theologica*, quia brevius procedit sanctus Thomas quam in *Quæstionibus disputatis*, sunt solum tres objectiones principales, quandoque speciosissimæ, et, in oppositum, argumentum *sed contra*, quod plerumque est argumentum ex auctoritate. Sanctus Thomas hæc auctoritatis argumenta in *Summa Theologica* non evoluit, sed unum tantum affert, quandoque brevissimum, quia præsupponit ea quæ dixerat in Commentariis suis circa Sacram Scripturam, speciatim in Evangelia et Epistolas, nec non in Catena aurea. Manifestum est quod hodie hæc auctoritatis argumenta, præsertim in re dogmatica, evolvi debent, ut explicite et clare cognoscatur quidquid declaratum est ab Ecclesia tanquam a proxima fidei regula, et quonam fundamento in Scriptura et Traditione.

Corpus vero articuli diversimode constituitur secundum diversas quæstiones solvendas. Ut autem exponit Angelicus in suo Commento in librum II Posteriorum Analyticorum, c. I, lect. 1, quæstiones scientificæ sunt quatuor, scilicet 1) *an res sit*, v. g. an Deus sit; 2) *quid sit*; 3) *an sit talis*, v. g. an Deus sit liber; 4) *propter quid sit talis*, v. g. propter quid seu quare Deus sit liber. Hæc quatuor quæstiones sunt evidenter diversæ; non obstante identitate formulæ classicæ in *Summa Theologica*: “Utrum hoc sit etc...”

Quæstio *an res sit* præsupponit *quid nominis* seu definitionem nominales id est vulgarem rei et ducit ad quæstionem *quid sit*, sicut tertia quæstio *an res sit talis* ducit ad quartam: *propter quid sit talis*. In his omnibus, ut ibidem ait Aristoteles, præsertim considerandum est medium demonstrativum.

Quando corpus articuli respondet ad quæstionem *an res sit*, v. g. an Deus sit, tunc, ut ait ipse Angelicus I^a q. 2, a. 2, ad 2, “necesse est accipere pro medio *quid significet nomen*” v. g. hoc nomen Deus. Id est: Deus significat primam causam incausatam; atqui prima causa incausata existit, nam omne quod fit habet causam et non est processus in infinitum in causis per se subordinatis. Ergo Deus existit.

Præsertim attente considerandum est quomodo sanctus Thomas respondet quæstionibus *quid sit* et *propter quid*.

III. – De venatione inductiva definitionum.

Quando autem quæstio *quid sit*, v. g. quid sit anima humana, quid sit caritas vel fides, agitur de venatione definitionis realis secundum leges statutas in I. II Posteriorum Analyticorum, c. VIII, lect. 7^a et 8^a, ubi ostenditur quod significatum definitionis non potest demonstrari, nisi de eadem re sint duæ definitiones, quarum una per causam finalem aut efficientem contineat rationem propter quam alterius, scilicet definitionis essentialis; sic definitur circuitus circuli: figura cujus omnia puncta æque distant a centro, quia generatur per revolutionem alicujus lineæ rectæ circa unum ex suis terminis. Sed, his casibus exceptis, *definitio nequit demonstrari*, nec a posteriori sicut existentia causæ ex effectibus, nec a priori sicut proprietas deducenda; definitio enim rei est ipsum medium ad demonstrandas proprietates, nec datur processus in infinitum. Si vero demonstrari nequit definitio realis, inquirenda est incipiendo a definitione nominali seu vulgari, quæ determinat solum de quam re est sermo. Transitus autem a definitione nominali ad realem et essentialem fit, ut ostenditur in eodem libro II Posteriorum Analyticorum, c. XII, lect. 13-16, per divisionem progressivam generis supremi usque ad genus infimum, et per ascendentem inductionem differentię specificæ, ex comparatione rerum similium et dissimilium¹¹. Hæc methodus inveniendi veras definitiones reales et essentielles optime servatur a sancto Thoma. Dum plures auctores moderni, statim ab initio, proponunt definitiones quandoque valde complexas, quasi per revelationem acceptas, non dicendo quomodo ad eas pervenerunt, sæpe sanctus Thomas initio cujuslibet tractatus inquit per plures articulos definitionem rei de qua est sermo, v. g. definitionem caritatis, ut est amicitia inter Deum et hominem ac virtus specialis et altissima, definitionem quatuor specierum justitiæ, nempe æquitatis, justitiæ legalis, justitiæ distributiivæ, justitiæ commutativæ, definitionem prudentiæ etc. In his articulis non inquirendum est medium demonstrativum, nam venatio definitionis non est demonstratio, sed in hac inductiva inquisitione sæpe sanctus Doctor optimas observationes affert, ut notavit v. g. in rebus socialibus R. D. Simon Deploige: *Le Conflit de la Morale et de la Sociologie*, 1913, p. 272 sq. Sic paulatim fit transitus a ratione naturali seu a *sensu communi* omnium hominum ad rationem philosophicam¹².

Hæc venatio definitionis est magni momenti, ut patet, nam omnes demonstrationes proprietatum alicujus rei in ejus definitione fundantur, item divisio per se alicujus totius ejus definitione innitur, immo ex notionibus primariis recte statutis et inter se connexis habentur principia universalialia, quæ in ordine metaphysico sunt absque ulla exceptione vera. Sic v. g. sanctus Thomas profunde determinat distinctionem inter voluntatem antecedentem et voluntatem consequentem *ex ipsa definitione voluntatis*, cujus objectum est bonum, quod est formaliter non in mente sed in ipsis rebus. Dicit (I^a q. 19, a. 6, ad 1): “Voluntas comparatur ad res secundum quod in seipsis sunt; in seipsis autem sunt in particulari (hic et nunc). Unde *simpliciter volumus* aliquid, secundum quod volumus illud consideratis omnibus circumstantiis particularibus, quod est consequenter velle”. Per oppositum, ut ibidem dicitur, aliquod bonum antecederet volumus, dum illud volumus non consideratis omnibus circumstantiis particularibus, sed prout absolute in se bonum est; et hoc est secundum quid velle, et non simpliciter. Ex quibus definitionibus sic statutis, sanctus Thomas ibidem hoc universalissimum principium eruit: “*Et sic patet quod quidquid Deus simpliciter vult, fit; licet illud quod antecederet vult, non fiat*”. Hæc autem duplex propositio virtualiter continet totam doctrinam sancti Thomæ circa gratiam efficacem. Si enim prædictæ *definitiones* voluntatis consequentis et voluntatis antecedentis valorem metaphysicum habent, pariter principium in eis fundatum. Tunc nullum bonum etiam minimum et facillimum *hic et nunc evenit* ex sola voluntate Dei antecedenti, seu absque decreto voluntatis consequentis, cujus causalitas infallibilis est, quamvis libertatem humanam optime servet: “Quidquid Deus simpliciter vult, fit; licet illud quod antecederet vult, non fiat”. Si aliquod bonum etiam facillimum hic et nunc eveniret absque tali decreto voluntatis consequentis, principium enunciatum a sancto Thoma non esset amplius metaphysice verum, et tota ejus doctrina de præscientia et de voluntate Dei consequenti rueret ipso facto. Non habens valorem metaphysicum, nullum amplius haberet, ac si diceretur: actus salutes *ut in pluribus* non fiunt, nisi fuerint a Deo consequenter voliti, vel ordinator universalis non

11 Sic Aristoteles pervenit ad *definitionem motus* secundum habitudinem ad *ens* et ad divisionem entis per potentiam et actum: sic motus fit intelligibilis secundum resolutionem ad *ens*, quod est objectum intellectus; dum e contra postea Cartesius (*Principes*, II, 25) definit motum per respectum ad quietem, seu ad cessationem ipsius, ex quo nulla intelligibilitas philosophica motus habetur. – Eadem methodo Aristoteles definivit animam, facultates, sapientiam, scientiam, prudentiam, artem, varias virtutes etc.

12 In rebus fidei in hoc transitu consistit progressus dogmaticus, scilicet a notione confusa ad distinctam, v. g. a notione confusissima animæ humanæ ad hanc: anima humana est corporis forma vere per se et essentialiter. In hoc enuntiatur animæ non proprietas sed *definitio* prius confuse cognita. Si vero ex definitione hominis demonstratur quod homo est liber, tunc enuntiatur *proprietas* ejus naturæ intellectualis et est *nova veritas* distincta a definitione hominis. Sæpe autem major labor requiritur ad venationem rectæ definitionis quam ad deducendas ex ea proprietates rei.

omnia bona sed *pleraque* solum ordinavit. Hæc doctrina nullius valoris esset in ordine philosophico vel theologico. Principia autem in isto ordine formulata non sunt metaphysice et universalissime seu absque omni exceptione vera, nisi in debita seu recta definitione subjecti fundentur. In hoc apparet momentum venationis definitionum realium.

IV. – De medio demonstrativo.

Ab articulis autem in quibus methodice inquiritur definitio realis alicujus rei, distinguendi sunt et aliter explicandi sunt articuli, in quibus sanctus Thomas solvit quæstionem *an res sit talis* et sæpe per modum unius quæstionem *propter quid sit talis*; v. g. utrum anima humana sit incorruptibilis (id est an et propter quid sit incorruptibilis), utrum homo sit liber, utrum fides sit certissima, utrum solius Dei sit creare, an et propter quid passio Christi causaverit nostram salutem per modum meriti, etc. Tunc enim, ad solutionem quæstionis *propter quid*, agitur de vera demonstratione et quidem a priori, nec solum ex communibus principiis sed ex propriis. Unde in his ultimis articulis proprie demonstrativis sive ex sola ratione, sive ex fide et ratione, *inquirendum est præsertim medium demonstrativum, quod est quasi clavis aurea articuli*.

Titulus articuli dat duos terminos ipsius conclusionis, scil. minorem terminum et majorem; assignandus est terminus medius, quo alii duo uniri possunt in conclusione scientifica, quæ assignat “rationem ob quam res est et non potest aliter se habere”. Est ipsa aristotelica definitio scientiæ¹³.

Quandoque autem sanctus Thomas in compositione corporis horum articulorum incipit a majore et per minorem descendit ad conclusionem, ita ut facile sit ponere argumentum in forma ut medium demonstrativum appareat. V. g. I^a q. 75, a. 6: Utrum anima humana sit incorruptibilis: *Omnis forma simplex et subsistens* est omnino incorruptibilis. Atqui anima humana est *forma simplex et subsistens*. Ergo... – Item I^a q. 45, a. 5: Utrum solius Dei sit creare: Oportet *universalissimum effectum* in universalissimam et supremam causam, id est in Deum, reducere. Atqui ipsum esse, quod absolute producitur in creatione, est *universalissimus effectus inter omnes*. Ergo producere esse absolute, non in quantum est hoc vel tale, seu creare, soli Deo pertinet.

Sæpe etiam sanctus Thomas incipit a minore, cujus subjectum jam datur in titulo et erit subjectum conclusionis. Sic per minorem ascendit a subjecto tituli *ad medium demonstrativum*. Postea enuntiat majorem, cujus subjectum est idem medius terminus et cujus prædicatum est magnus tituli terminus, conjungendus in conclusione cum minori termino. Sic sæpe processus articuli est per minorem ascensus ad medium demonstrativum, et descensus per majorem ad conclusionem. Verbi gratia, I^a II^æ q. 2, a. 8: utrum beatitudo hominis consistat in aliquo bono creato. Respondet enuntiando primo minorem: beatitudo est bonum perfectum totaliter quietans appetitum rationalem a bono universali specificatum. Atqui bonum perfectum totaliter quietans appetitum rationalem a bono universali specificatum nequit esse limitatum seu creatum. Ergo beatitudo hominis non potest consistere in aliquo bono creato.

Si volumus argumentum ponere in forma, major prius enuntianda est. Et generaliter, conservando ipsas sancti Thomas propositiones, reduci potest argumentum ad formam classicam. Melius est autem proprios terminos Doctoris servare, quam eos mutare ad nimium formalismum logicum sequendum. Denique defendenda est major vel minor contra sancti Thomæ adversarios, qui eas impugnaverunt.

In explicatione corporis articuli attente igitur inquirendum est *medium demonstrativum*, aut si sunt plura media subordinata, in principali, ut patet, sistere oportet. Ratio est quia, ut sæpe notat sanctus Thomas, “*materia-liter scita* sunt conclusiones; *formalis vero ratio sciendi* sunt media demonstrationis, per quæ conclusiones cognoscuntur”. II^a II^æ q. 1, a. 1 c. Sic cognoscitur formaliter *propter quid* hoc sit tale, v. g. homo sit liber: quia cognoscit bonum universale habet indifferentiam dominatricem circa bonum particulare; vel propter quid homo sit socialis, quia ad suum agere specificum, stil. ad cognoscenda quæ sunt sibi necessaria, ejus infima intelligentia indiget concursu aliorum etc.

Sic *medium formale seu proximum est unicum*, est definitio essentialis rei pro prima proprietate deducenda, prima proprietas pro secunda subordinata et sic deinceps. Attamen aliquid jam demonstratum directe et ex propriis *per causam formalem*, adhuc demonstrari potest aliter v. g. per *propriam causam finalem*, aut etiam *ex communibus principiis*, aut *indirecte* sive per signum sive per absurdum. Sic sanctus Thomas in libris *Contra Gentes* affert pro eadem conclusione hæc varia argumenta directa aut indirecta, eaque juxtaponit non assignando rationem propter quam sunt sex, aut decem. In Summa Theologica vero et in Quæstionibus disputatis est generaliter unicum argumentum directum, formale et ex propriis, afferens *medium formale proximum*, aut si sanctus Doctor dat duo vel tria argumenta assignat rationem scientificam quare et quomodo dupliciter vel tripliciter argumentatur.

In luce igitur ponendum est medium demonstrativum, quod in syllogismo primæ figuræ est subjectum majo-

¹³ Post Anal., I, I, c. 2.

ris et prædicatum minoris (*sub præ*), et scimus quod modi aliarum figurarum ad modos hujusce primæ figuræ reduci possunt.

Tunc medium istud sic in luce positum apparet ut lapis adamantinus articuli, insertus syllogismo, sicut margarita pretiosa in anulo. Sic *utimur logica* non quidem propter seipsam, sed *ut manuductione ad intuitionem medii seu principii*, in quo considerata est veritas conclusionis, aut saltem principalis conclusionis, si plures sunt in articulo ut non raro accidit. Hoc autem labore adimpleto, ad commendandum memoriæ id quod principale est in articulo, sufficit medium in mente retinere. Rursus posita eadem quæstione, in ipsa dantur minor terminus et major; proinde ad responsionem sufficit enuntiare medium demonstrativum ut rursus habeatur conclusionis demonstratio; v. g. utrum anima humana sit incorruptibilis. Sufficit respondere: Omnis forma simplex et subsistens, etc. ergo.

Si ita attente consideratur medium demonstrativum articuli, clarior postea apparet, absque forma syllogistica, solutio objectionum, quæ jam initio articuli positæ sunt. Revera enim ad eas solvendas sanctus Thomas projicit *lumen medii demonstrativi*, et sub isto lumine facile invenitur et intelligitur distinctio facienda.

Postea utiliter proponi possunt, ut sæpe faciunt Salmanticenses, dubia quæ remanere possunt et corollaria.

Positio sancti Thomæ, si recte intelligitur, apparet ut justum *medium et culmen* inter ac supra duo extrema ad invicem opposita, *inter empirismum nominalistarum*, qui quamdam objectivitatem experientiæ servat, sed sine necessitate et universalitate scientiæ, et *idealismum conceptualistarum* seu subjectivistarum, qui quamdam necessitatem et universalitatem scientiæ servat, sed sine valore ontologico, id est sine vera objectivitate.

Sic modus procedendi sancti Thomæ ad constructionem suorum articulorum est multo magis secundum naturalem progressum mentis in inquisitione veritatis, quam modus quo usi sunt plures scholastici posteriores, qui initio multiplicant *prænotamina*, circa ea quæ jam supra explicata sunt nec rursus explicari indigent; sæpe etiam hæc varia prænotamina quasi materialiter juxtaponunt, relationem essentialem eorum non ostendendo, ac deinde brevissime proponunt argumentum, ita ut non bene appareat medium demonstrativum, et quandoque plura argumenta juxtaposita proponunt, non satis distinguendo argumentum directum, formale et ex propriis ab aliis vel ex communibus, vel indirectis. Hæc posterior methodus est potius mechanica, dum methodus sancti Thomæ est *organica*, et secundum naturalem mentis processum.

Momentum medii demonstrativi denique apparet ex legibus servandis in circulis seu disputationibus scholasticis. Objiciens enim, juxta has regulas, cum vera strategia, ad evertendam conclusionem debet progressive per tres objectiones in instantia impugnare ipsum medium demonstrativum, quod est quasi culmen articuli defendendi et quasi arx defendentis. Defendens autem in hac arce positus debet projicere contra objicientem lucem medii sub forma luminosæ distinctionis non per accidens sed per se et vere ad rem. Sic post circulum bene ordinatum, quod satis difficile est, veritas articuli veluti cribrata et exuta omnibus difficultatibus magis magisque elucet, confirmatur nempe per hanc austeram criticam, quæ est sicut acidum omnia metalla corripiens, auro tamen excepto.

V. – De perfecta unione analysis et synthesis apud Angelicum.

Secundum hunc modum, sanctus Thomas optime servavit *regulas methodi in genere*, scilicet semper a notioribus incipit; gradatimque et non per saltum procedit; nunquam ad conclusiones remotiores pervenit, quin prius cum certitudine cognoscantur conclusiones immediatæ. Sic nexus earum clare perspicitur et omnes conclusiones corpus doctrinale vere organicum efformant.

Item perfecte applicavit *regulas methodi analyticæ in ordine inventionis*, præsertim in divisione per se et non per accidens subjecti complexi considerandi, usque dum perveniat ad transcendentales notiones et prima principia, ita ut, partibus diligentissime consideratis, iudicium de toto recte feratur. Item optime usus est methodo analytica in inductiva ac comparativa inquisitione differentię specificæ rei ad inveniendas distinctas definitiones reales in nominalibus confuse contentas.

Non minus perfecte usus est ad docendum *methodo synthetica* tum in quæstionibus proponendis, tum in modo eas solvendi. In proponendis enim quæstionibus semper incipit ab universalioribus et ad minus universalia progressive descendit, ab essentia ad proprietates, a causis ad effectus. Item in solvendis quæstionibus semper exordium sumit a principiis vel revelatis, vel per se notis, vel experimento habitis et a definitione rei de qua est quæstio; nec a principiis certis recedit propter mysterii obscuritatem ad quam perducunt hæc principia, ut accidit in quæstionibus de gratia et libero arbitrio. Unde possumus dicere: id quod verum est in regulis methodi a Cartesio formulatis, jam optime cognovit Angelicus.

Sic Summa Theologica est splendidissimum exemplum hujusce methodi syntheticæ, in ordinanda scientia theologica: Primo de Dei existentia et natura, deinde de ejus attributis, tertio de tribus Personis, quarto de actionibus Dei ad extra disserit et sic de cæteris. In hac ordinatione sanctus Thomas valde superat, ut patet, Ma-

gistrum Sententiarum, qui de theologia morali quasi obiter tantum tractabat, agendo de fide, spe et caritate, occasione hujusce quæstionis: Si Christus habuit fidem, spem et caritatem, III, d. 23, et tractando de peccato in genere occasione quæstionis de peccato originali II, d. 35, sq.

Denique et præsertim notandum est quod Angelicus *egregie conjunxit analysim et synthesim, prout terminus analysis ascendens ad principia et ad causas est principium synthesis descendens*. Analysis enim, post philosophiam naturalem in ontologia, ascendit ad notiones *entis analogi, actus et potentiae*, nec non ad prima principia universalis rationis et entis, quæ totam synthesim metaphysicæ generalis illuminant. Postea mens in theologia naturali ascendit ad *Actum purum*, ad Ens supremum, in ultima analysi requisitum, cujus vera notio est quasi sol totius synthesis universalis, seu cognitionis omnium entium in quantum sunt entia¹⁴.

Nullo modo apud sanctum Thomam invenitur hic methodi a priori abusus qui, ut apparet apud Spinozam, via mathematici excludit considerationem causæ efficientis et causæ finalis, ac proinde ad rationalismum et pantheismum ducit, ac si omnia more geometrico deduci possent ex natura Dei¹⁵. *Per viam inventionis et analysis* ascendit sanctus Thomas sub lumine primorum rationis principiorum a rebus sensibilibus et a certissimis factis experientiæ ad supremam et universalissimam causam quæ, cum sit infinite perfecta et nullo modo creaturis indigeat, omnia liberrime creavit (I^a q. 19, a. 3). Deinde *per viam synthesis* sanctus Doctor de omnibus ex alto judicat, ut ipse dicit I^a q. 79, a. 9: *“In via vero judicii, per æterna jam cognita de temporalibus judicamus, et secundum rationes æternorum temporalia disponimus”*. Secundum hanc unionem analysis et synthesis, apud Angelicum, ut ostendit P. del Prado¹⁶, suprema veritas philosophiæ christianæ, quæ est terminus viæ analyticæ seu viæ inventionis ascendens et principium viæ syntheticæ judicii, est ista: *Deus est ipsum esse subsistens, Ego sum qui sum*; aliis verbis: in solo Deo essentia et esse sunt idem (I^a q. 3, a. 4). Hæc est clavis aurea totius ædificii, ab Angelico tali profunditate et firmitate principiorum constructi, ut teste Leone XIII in Encyclica *Æterni Patris*, nemo melius fecit. Vitans simul nominalismum, qui objectivitatem metaphysicæ negat eamque ad logicam reducit, et immoderatum Platonis realismum, qui immerito existimat universale existere formaliter a parte rei, sanctus Thomas optime distinxit logicam et metaphysicam, ens rationis et ens reale (I^a q. 85, a. 2, ad 2) ac perfecte ostendit quod, ante considerationem mentis nostræ, essentia cujuslibet entis finiti *non est suum esse*, et quod proinde in solo Deo essentia et esse sunt idem (I^a q. 3, a. 4). Hoc est culmen quinque viarum ad probandam Dei existentiam, est terminus viæ inventionis ascendens et principium viæ syntheticæ judicii ex altissima causa.

Quo magis per annos studuimus huic Summæ Theologicæ, eo magis pulchritudinem ejus structuræ vidimus. Expositiones et demonstrationes sunt simplices et claræ, præsertim si comparantur commentariis in Sententias Petri Lombardi; superflue quæstiones vitantur ut sibi proposuerat Angelicus in Prologo; item in quantum possibile est removentur repetitiones, quia semper tractantur res in genere antequam in speciali et non indiget sanctus Thomas lectorem suum remittere ad ea quæ sunt infra dicenda. In hac simplicitate et claritate Angelicus valde superat, ut patet, non solum antecessores, sed etiam Scotum et Suarezium.

Perfectio ejus ædificii magna ex parte venit ex summa arte qua conficiuntur divisiones sive tractatum, sive quæstionum, sive articulorum aut argumentorum, divisiones nempe non per accidens sed per se, secundum rationem formalem totius dividendi et per membra ad invicem vere opposita, ita ut sint divisiones adæquatæ, cum subordinatis subdivisionibus, discrete tamen et non ad minutissima descendendo. Sic paulatim pervenit lumen principiorum usque ad ultimas conclusiones adhuc tamen universales, nam ad *singulare* non descendit scientia speculativa, quæ sic ab ipsa experientia et a prudentia essentialiter distinguitur.

VI. – Doctrina Sancti Thomæ ex plenitudine contemplationis procedit.

His omnibus in fine addendum est quod Angelicus nunquam methodum propter ipsam dilexit, sed propter veritatem inveniendam et tradendam, præsertim propter veritatem divinam ad quam maxime attendit. E contrario, sicut plures venatores magis actionem venandi quam prædam diligunt, quidam magis præ oculis videntur habere modum veritatem demonstrandi, quam veritatem ipsam jam inventam, etiam quando de altissimis tractant, v. g. de valore infinito meritorum Christi aut de processione divinis. Hæc est deformatio professionalis, quando theologus non est satis contemplativus; tunc nimis discurrit et nimis ipsum discursum considerat.

Attamen hora studii attente consideranda est debita methodus, qua paulatim, habitu crescente, quasi inconscienter utimur, sicut pro musico accidit in usu citharæ vel harpæ. Sic progressive usus magis magisque facilis debitæ methodi ad rectam cognitionem diversarum partium philosophiæ et theologiæ disponit et eo ipso ad

¹⁴ Cf. S. THOMAS in I. II *Post. Analyt.*, lect. XX et I. I, lect. XXIII et sqq.; in *Metaphys.*, I. I, lect. 1. et sqq.; I. IX, lect. 5; I^a II^æ q. 112, a. 5; II^a II^æ q. 9, a. 2; Contra Gentes, I. I, c. 3 et 9.

¹⁵ Cf. Leo MICHEL, O.P., *Le Système de Spinoza au point de vue de la logique formelle* (Revue Thomiste, janvier 1898).

¹⁶ *De Veritate fundamentali philosophiæ christinæ*. Fribourg, Suisse, 1911.

veritatis contemplationem, ex qua fluit viva doctrina illuminans mentis oculos et corda. Angelicus dicit quod doctrina et prædicatio debent “ex plenitudine contemplationis procedere” II^a II^æ q. 188, a. 6. Ita erat dum docebat ipse. Sicut illi soli musici bene sua methodo utuntur, qui sub quadam inspiratione plene penetrant animam symphonie canendæ, ita sanctus Thomas quasi ex alto methodo scientifica utebatur, sub luce fidei vivæ ac donis Spiritus Sancti illustratæ, quæ lux omnia systemata et omnem scientiam studio humano acquisitam absolute transcendit. Sic solum sub isto supernaturali lumine theologia ad suum finem pervenit, et tunc in ea verificantur Concilii Vaticani verba: “Ratio quidem fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur... nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicenda instar veritatum, quæ proprium ipsius objectum constituunt”. In hac namque mortali vita “peregri-
namur a Domino: per fidem enim ambulamus et non per speciem”.

Ideoque sanctus Thomas, antequam dictaret, scriberet aut prædicaret, hanc orationem dicebat: “Creator ineffabilis, qui de thesauris sapientiæ tuæ tres Angelorum hierarchias designasti... atque universi partes elegantissime disposuisti; tu, inquam, qui verus fons luminis et sapientiæ diceris, atque supereminens principium: infundere digneris super intellectus mei tenebras tuæ radium claritatis, duplices, in quibus natus sum, a me removens tenebras, peccatum scilicet et ignorantiam. Tu, qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias, atque in labiis meis gratiam tuæ benedictionis infunde. Da mihi intelligendi acumen, retinendi capacitatem, addiscendi modum et facilitatem, interpretandi subtilitatem, loquendi gratiam copiosam; ingressum instruas, progressum dirigas, egressum compleas: Tu qui es verus Deus et homo, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.”

Exaudita est hæc oratio; in operibus enim sancti Doctoris supra logicam methodum apparet lumen donorum Spiritus Sancti nec non gratia gratis data “sermonis sapientiæ”, ut dicitur in Encyclica S. S. Pii XI *Studiorum ducem*. Propterea in aliquo responsorio Officii Festi sancti Thomæ legitur:

*Stylus brevis, grata facundia,
celsa, clara, firma sententia.*

Celsa, quia exprimit cognitionem ex altissimis causis; *clara*, quia radicem quæstionis illuminat per summa principia; *firma*, quia “assignat causam ob quam res est et non potest aliter se habere”, secundum ipsam Aristotelicam definitionem scientiæ (*Post. Anal.*, I. I, c. 2). In stylo brevi *grata facundia* proveniebat ex viva et supernaturali contemplatione, qua cognoscebat sanctus Doctor non solum litteram sed spiritum Sacræ Scripturæ. Ipse enim sciebat, quod ad tractandum præsertim de rebus divinis, non minus necessaria est oratio et contemplatio quam scientificus labor, et, quando difficultates inveniebat, orationem suam non minuebat ad magis laborandum, sed potius protrahebat. Hoc non minime interest ad renovationem spiritus studii theologici, ut studium istud sit vivum et debitos fructus producat. In Encyclica *Studiorum ducem* ubi est sermo de contemplatione sancti Doctoris legitur: “Quæ ut desuper impetraret, sæpe omni cibo abstinere, sæpe totas comprecando vigilare noctes, identidem ex ingenuæ pietatis impetu ad Sacramenti augusti tabernaculum applicare caput, assidue vero ad Jesu Crucifixi imaginem oculos animumque dolenter convertere, confessus familiari suo, sancto Bonaventuræ, ab eo maxime libro se, quantum sciret, didicisse”. Christus enim dixerat: “Verba, quæ ego loquutus sum vobis, spiritus et vita sunt” Joan. VI, 64. Libri autem dant litteram, sed studium sine oratione et vita interiori non pervenit ad spiritum.

Si vero consideratur lumen divinæ contemplationis ex qua procedit hæc magna synthesis sancti Thomæ, quisnam dicere posset: hæc doctrina est immoderatus intellectualismus sine realitate et vita?

Modo quidem intellectuali, ut oportet in scientia, et non secundum “sentimentalismi” placita, sanctus Thomas tractat de Deo, de nostra natura et gratia; sed nunquam vitam nostram intellectualem separat ab influxu voluntatis aut etiam sensibilitatis; optime enim ostendit mutuales omnium facultatum relationes. Dicit quidem (I^a q. 82, a. 3): “*Si intellectus et voluntas considerentur secundum se, sic intellectus eminentior invenitur... Objectum enim intellectus est simplicius et magis absolutum, quam objectum voluntatis*”; ens est prius et universalius bono; sic intellectus simpliciter est altior voluntate quam dirigit. Addit tamen sanctus Doctor: “*secundum quid autem et per comparisonem ad alterum voluntas invenitur interdum altior intellectu... (sic) melior est amor Dei (saltem in via) quam Dei cognitio*”; nam intellectus trahit ad se rem intellectam etiam sibi superiorem, dum ad eam trahitur voluntas: Sic caritas est altissima omnium virtutum (II^a II^æ q. 23, a. 6) et sanctus Thomas in *Matthæum*, VII, 26 dicit: “Quidam audiunt ut sciant, et hi ædificant super intellectum (tantum et non super caritatem), et hæc est ædificatio super arenam”.

Hæc doctrina non est quidem immoderatus intellectualismus; sed de his omnibus non oratorio modo loquitur sanctus Thomas, scientifice vero, ut ad scopum suum oportet, ad inquisitionem nempe non pulchritudinis delectantis ut in arte poetica, sed *veritatis*, sine qua nulla datur vera bonitas, nec vera pulchritudo.

In scientia proprie dicta abstrahit quidem sanctus Thomas a singulari, prout nihil “scibile” est nisi per modum abstractionis a materia singulari: affirmat quidem: “*cognitio singularium non pertinet ad perfectionem animæ*

intellectivæ secundum cognitionem speculativam”, sed statim addit: “pertinet tamen ad perfectionem ejus secundum *cognitionem practicam*”¹⁷, scilicet prudentiæ et doni consilii; pertinet etiam ad experientiam sive externam, sive internam, quam certo non despexit Angelicus. Immo asserit quod justus potest habere per donum sapientiæ “cognitionem quasi experimentalem”¹⁸ Dei in seipso habitantis et salutis mysteriorum, secundum illud s. Pauli Rom. VIII, 16: “Ipse enim Spiritus Sanctus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei”; hoc testimonium reddit “per effectum amoris filialis quem Deus in nobis facit”¹⁹.

Hanc experientiam mysticam habuit sanctus Doctor in alto gradu, et ea influebat quidem in constructionem ejus synthesis theologicæ, sed quasi ex alto, confortando et illustrando fidem ejus. Scientia autem proprie dicta, sive philosophica sive theologica, studio acquisita, essentialiter distinguitur a qualibet individuali experientia etiam altissima et nonnisi circa universalia in prædicando, aut in essendo, aut in causando versatur²⁰.

Universale autem in prædicando fundamentaliter est in rebus singularibus et exprimit id quod in illis est necessarium et negative æternum, scilicet verum non solum hic et nunc sed semper: τὸ τί ἦν εἶναι, quod quid erat esse (*Metaph.*, 1041, a. 27). Propterea sanctus Doctor dicit in Commentario suo in Posteriora Analytica, I. I, lect. 37: “Quantum ad id quod rationis est (seu quantum ad scientiam), *universalia magis sunt entia quam particularia* (quia, ut ibidem dicitur, sunt incorruptibilia, dum particularia non perdurant). Quantum vero ad naturalem subsistentiam particularia sunt magis entia, quæ dicuntur primæ et principales substantiæ”. Sic nullo modo realitas minuitur.

Unde merito in cognitione scientifica sanctus Thomas omnia reducit ad universalia principia, quæ sunt fundamentales, necessariæ et perpetuæ leges non solum mentis sed entis, et entis sive naturalis sive etiam supernaturalis.

Sic methodus ejus magnum remedium affert defectibus philosophiæ modernæ, in qua paulatim evanuit distinctio inter sensus internos et intellectum, inter naturam et gratiam, et, sublato valore ontologico primorum principiorum rationis, nihil remanet firmum et stabile in ordine speculativo et a fortiori in ordine practico²¹.

Secundum prædictam methodum constructa, Summa Theologica sancti Thomæ, oppositos excessus rationalismi et fideismi superans, est opus simul vere scientificum et revelatione supernaturali semper illustratum, opus igitur vere classicum et perenne non quidem immoderati intellectualismi, sed “sacræ theologiæ” ad statum veræ scientiæ, non obstante obscuritate fidei, perductæ²², ut sit nempe corpus doctrinale vere organicum, ut sit scientia vere una, subalternata scientiæ Dei et beatorum, ac “velut quædam impressio in nobis divinæ scientiæ”²³, omnia considerans sub ratione Dei, auctoris gratiæ et ultimi finis.

DE STUDII THEOLOGICI RELATIONE CUM VITA INTERIORI

Sæpe nimis separatur studium a vita interiori, nec satis servatur pulcherrima gradatio quæ in Regula S^{ti} Benedicti, ch. 48, invenitur: “lectio, cogitatio, studium, meditatio, oratio, contemplatio”. Sanctus Thomas qui primam suam formationem a Benedictinis accepit, hanc mirabilem gradationem servavit in sua Summa Theologica ubi de vita contemplativa loquitur II^a II^æ q. 180, a. 3.

Ex nimia autem separatione studii et orationis, plures sequuntur defectus: poena et difficultas, quæ non raro in studio invenitur, non amplius consideratur ut salutaris poenitentia, nec satis ad Deum ordinatur; sic venit quandoque fatigatio et fastidium absque ullo fructu religioso.

E contrario quandoque in studio invenitur naturalis delectatio, quæ posset ad Deum ordinari, in spiritu fidei vivæ, et quæ non raro remanet quasi mere naturalis, fere sine ullo fructu pro anima religiosa.

Sanctus Thomas de duabus istis deviationibus loquitur in II^a II^æ q. 166, agendo de virtute *studiositatis*, seu applicationis ad studium quæ imperari debet a caritate, contra inordinatam curiositatem et contra pigritiam, ad studendum his quæ oportet, quomodo, quando, ubi oportet, præsertim quonam spiritu et fine, ad ipsum Deum melius cognoscendum et ad animarum salutem.

Ad vitandos autem prædictos defectus ad invicem oppositos, bonum est in memoriam revocare quomodo *sanctificari potest studium nostrum intellectuale*, considerando prius id quod vita interior accipit a studio recte ordinato, et postea e converso id quod studium Sacræ Theologiæ a vita interiori magis ac magis accipere pote-

17 III^a q. XI, a. 1, ad 3.

18 I dist. 14, q. 2, a. 2, ad 3; I^a q. 43, a. 3; II^a II^æ q. 45, a. 2.

19 S. THOMAS, in *Epist. ad Rom.*, VIII, 16.

20 I^a q. 1, a. 2, ad 2; II^a II^æ q. 45, a. 2.

21 Hoc longius ostendimus in libris: “*Le sens commun, la philosophie de l'être et les formules dogmatiques*” – “*Dieu, son existence et sa nature*”. Vide etiam P. T. RICHARD, O. P., *Introduction à l'élude et à l'enseignement de la scolastique*. 3^{ème} partie, c. IV, 2^a ed – Trad. italiana apud Marietti Torino.

22 I^a q. 1, a. 2.

23 I^a q. 1, a. 3.

st. In unione harum duarum functionum nostræ vitæ optime verificatur principium: “*Causæ ad invicem sunt causæ, sed in diverso genere*”; adest inter eas mutua causalitas et prioritas, quæ vere mirabilis est.

Quid vita interior debeat studio.

Præsertim a studio theologiæ vita interior præservatur duobus gravibus defectibus *subjectivismi* in pietate, et *particularismi*.

Subjectivismus quoad pietatem sæpe vocatur hodie “sentimentalismus”, est quædam affectatio amoris, absque vero et profundo amore Dei et animarum. Hic defectus provenit ex hoc quod in oratione prævalet naturalis inclinatio sensibilitatis nostræ, secundum uniuscujusque indolem. Prævalet quædam emotio sensibilitatis, quæ quandoque quodam lyrismo exprimitur, sed absque solido veritatis fundamento. Hodie plures psychologi increduli, ut Bergson in Gallia, putant quod mysticismus etiam catholicus provenit ex prævalentia alicujus nobilis emotionis quæ ex subconscientia oriretur, quæque postea in ideis et judiciis mysticorum exprimeretur. Sed semper remanet dubium de veritate reali horum judiciorum, quæ sub pressione subconscientiæ et affectus orta sunt.

E contrario vita nostra interior debet esse *in veritate divina fundata*. Hoc quidem jam habet ab ipsa fide infusa, in auctoritatem Dei revelantis innixa. Sed studium recte ordinatum valde juvat ad bene cognoscendum id in quo proprie consistunt in se veritates fidei, independentes a subjectivis dispositionibus nostris. Maxime quidem juvat studium ad rectam notionem efformandam de perfectionibus Dei, de ejus bonitate, amore, misericordia, justitia, nec non de virtutibus infusis de vera humilitate, religione, et caritate, absque admixtione emotionis non in veritate fundatæ. Propterea sancta Theresia, ut ipsa ait in sua Vita ch. 13, dicit se multum accepisse a colloquio bonorum theologorum, ut a via veritatis in difficilibus angustiis non deviasset.

Studium nostrum recte ordinatum vitam interiorem liberat, non solum a subjectivismo, sed etiam a *particularismo*, qui provenit ex nimio influxu quarumdam idearum alicujus temporis aut regionis, quæ post triginta annos jam obsoletæ apparebunt. Quibusdam annis elapsis prævalebant ideæ talis aut talis philosophi, quæ jam non amplius placent; ita est in omni generatione; sunt successivæ opiniones et admirationes, quæ cum figura mundi transeunt, dum manent verba Dei, ex quibus justus vivere debet.

Sic vere studium bene ordinatum conservat vitæ interiori debitam *objectivitatem* super omnes sensibilitatis deviationes, et *universalitatem* fundatam in eo quod *ubique et semper* docet Ecclesia. Itaque magis ac magis videmus quod veritates *altiores, profundiores et magis vitales* nihil aliud sunt quam *veritates elementares* Christianismi, dummodo profunde scrutentur et fiant objectum quotidianæ meditationis et contemplationis. Ita sunt veritates quæ enuntiantur in Oratione dominica, item in prima catechismi linea: “Ad quid creatus es? Ad Deum cognoscendum, diligendum, eo serviendum et sic ad vitam æternam obtinendam”. Ita pariter magis ac magis apparet veritas fundamentalis totius Christianismi: *Sic Deus dilexit mundum ut Filium unigenitum daret*.

Est res maximi momenti ex his veritatibus profunde vivere, absque ulla deviatione subjectivismi, sentimentismi et particularismi alicujus temporis aut regionis. In hoc autem, vita nostra interior plura accipit a bono studio; et hic est *optimus fructus* pœnitentiæ quæ in arduitate studii invenitur, ac fructus multo pretiosior quam naturalis delectatio, quæ potest esse in intellectuali labore non satis sanctificato aut ad Deum ordinato. In studio diligenti a caritate imperato, excellenter verificatur commune effatum: si radices scientiæ sunt amaræ, fructus ejus dulciores sunt et optimi. Hic agitur non de scientia quæ *inflat*, sed de ea quæ sub influxu caritatis et virtutis studiositatis *vere ædificat*.

Vita interior ergo a pluribus deviationibus præservatur a studio, ut remaneat *objectiva*, et vere fundata in doctrina ubique et semper tradita. Sed est e converso influxus vitæ interioris in Sacræ Theologiæ studium.

Quid studium theologiæ vitæ interiori debeat.

Non raro studium istud sine vita remanet, sive in parte positiva, sive in parte speculativa et abstracta. Quandoque in eo *deest* altus spiritus et *influxus virtutum theologiarum* et donorum intellectus ac sapientiæ. Proinde sapientia theologica non satis est quandoque hæc “*sapida scientia*” de qua loquitur sanctus Thomas in prima quæstione Summæ theologiæ. Non raro mens nostra nimis sistit in ipsis *formulis dogmaticis*, in earum analysi conceptuali, in conclusionibus deductis, et *non satis* per has formulas *usque ad mysterium fidei penetrat*, ad illud spiritualiter gustandum et ex eo vivendum.

Hic dicere convenit quod plures sancti, qui non potuerunt tanta studia sicut et nos facere, *profundius hæc fidei mysteria penetraverunt*. Ita sanctus Franciscus Assisii, sancta Catharina Senensis, sanctus Benedictus Joseph Labre et multi alii, qui certe non fecerunt modo abstracto et speculativo analysim conceptualem dogmatum Incarnationis, Redemptionis, Eucharistiæ, nec conclusiones theologicas a nobis notas deduxerunt, et qui tamen

profundius ex his mysteriis cum sancto realismo vitam abundanter sumpserunt.

Per formulas ad ipsam realitatem divinam in caligine fidei vitaliter pervenerunt. Ut dicit sanctus Thomas II^a II^æ q. 1, a. 2, ad 2^m: “Actus credentis non terminatur *ad enuntiabile*, sed *ad rem*” ad mysterium revelatum.

Etiam absque magna gratia contemplationis, plures optimi christiani, per viam humilitatis et abnegationis, in profunditate horum mysteriorum sub modo penetrant.

Et si hoc verificatur in his optimis fidelibus, a fortiori verificari debet in religioso et in sacerdote, qui altitudinem vocationis suæ vere intellexit. Quotidie sacerdos sanctum sacrificium celebrare debet cum fide firmiori, cum spe vividiori, et ardentiori caritate, ita ut ejus communio eucharistica sit fere quotidie substantialiter ferventior, et non solum conservet sed magis ac magis caritatem ejus *augeat*.

Dicit optime sanctus Thomas in Ep. ad Hebr. X, 25. “Motus naturalis quanto plus accedit ad terminum *magis intenditur*. Contrarium est de motu violente, (v. g. lapidis sursum projecti). Gratia autem inclinat in modum naturæ. Ergo (sicut motus naturalis lapidis cadentis semper est velocior) ita *illi qui sunt gratia, quanto plus accedunt ad finem, plus debent crescere*”, quia quanto plus accedunt ad Deum, plus ab eo alliciuntur seu trahuntur, sicut lapis trahitur a centro terræ.

Si ita quotidie augetur vita nostra interior, felicissimum influxum haberet in studium nostrum, quod de die in diem vividius fieret.

Sic studium et vita orationis ad invicem sunt causæ in pulchra harmonia.

Quisnam est fructus hujusce mutui influxus?

Quando sacerdos magnam et solidam vitam interioriorem habet, ejus *theologia semper fit vividior*. Et postquam hic theologus descenderit a fide ad theologiam in particularibus quæstionibus addiscendam, desiderat ad fontem redire, scilicet ascendere a theologia sic in particularibus cognita ad altum fidei culmen. Theologus est sicut homo qui natus est in monte, v. g. in Mont-Cassino, et postea descendit in valle ad ejus particularia exacte cognoscenda; denique hic homo vult ad montem suum excelsum redire, ad contemplandam ex alto totam vallem uno solo intuitu.

Sunt homines qui magis diligunt planitiem, alii vero magis diligunt montes; “*mirabilis Deus in altis suis*”. Ps. 92, 2.

Ita bonus theologus debet quotidie ærem montium respirare et semetipsum profunde nutrire ex Symbolo Apostolorum, et in fine missæ ex Prologo Evangelii sec. Joannem, qui est velut synthesis totius revelationis christianæ. Quotidie pariter altius vivere debet ex oratione dominica, ex beatitudinibus evangelicis et ex toto Sermone in monte, qui est velut synthesis totius ethicæ christianæ in sua mirabili elevatione.

Quando anima sacerdotalis est, ut oportet, anima orationis, tunc ex sua vita interiori inclinatur ad inquirendum in theologia tum dogmatica tum moralis *id quod vividius et fecundius est*. Tunc enim sub influxu donorum intelligentiæ et sapientiæ fides fit magis penetrans et sapida.

Tunc in doctrina christiana apparent *pulcherrima subobscura*, seu luminum et umbrarum harmoniæ, quæ, ut clarum-obscurum in pictura, captivant intellectum et sunt objectum contemplationis sanctorum.

V. g. paulatim omnes magnæ quæstiones de gratia reducuntur ad hæc duo principia: ex una parte “*Deus impossibilia non jubet*, sed jubendo monet et facere quod possis et petere quod non possis” ut dicit Augustinus a C. Tridentino (Denz. 804) citatus contra protestantes. Ex alia autem parte, contra pelagianos et semipelagianos, “*Quis te discernit? quid habes quod non accepisti*” I Cor. IV, 7, seu, ut ait sanctus Thomas: Cum amor Dei sit causa bonitatis rerum: nullus esset alio *melior*, si non magis diligeretur a Deo (ex I^a q. 20, a. 3).

Hæc duo principia seorsim sumpta sunt clara et certissima, eorum vero intima conciliatio valde est obscura, obscuritate superiori quæ ex nimia luce provenit. Ad videndam hanc intimam conciliationem, oporteret videre quomodo intime in eminentia Deitatis conciliantur infinita Justitia, infinita Misericordia, et suprema Libertas.

Item, est aliud exemplum, cum progressu vitæ interioris, magis ac magis apparet altitudo tractatus de Incarnatione redemptiva, et speciatim *motivi Incarnationis Filii Dei*, “*qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de cælis et homo factus est*”.

Eodem modo, sub influxu vitæ orationis, vividior apparet tractatus de Eucharistia, et inter varias opiniones de essentia sacrificii Missæ, magis ac magis eminet Concilii Tridentini doctrina (Denz. 940): “*Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio*, qui seipsum tunc in cruce obtulit, solo offerendi ratione diversa”. Christus magis ac magis apparet ut *principalis sacerdos, semper vivens ad interpellandum pro nobis*, speciatim in missa cujus valor proinde est infinitus. Sic paulatim inveniuntur in Conciliis pretiosissimi lapides adamantini, et pariter in Summa Theologiæ progressive manifestantur summa capita, seu articuli altiores, qui sunt velut montes altiores quibus tota montium catena illustratur.

Si vere in spiritu fidei, orationis et pœnitentiæ, mens nostra sic applicaretur studio theologiæ, tunc in nobis

verificarentur hæc sancti Thomæ verba (II^a-II^æ 188, 6): “*Ex plenitudine contemplationis derivari debet doctrina et prædicatio*” aliquatenus sicut, post Pentecosten, apostolorum prædicatio.

Theologia, sic intellecta, est magni momenti pro animarum ministerio. Ipsa profunde format spiritum ad sane judicandum secundum mentem Christi et Ecclesiæ, ad exhortandas animas ad perfectionem secundum vera principia, v. g. ad ostendendum quod juxta supremum præceptum: “*Diliges Deum tuum ex toto corde tuo...*” omnes christiani tendere debent ad caritatis perfectionem, unusquisque tamen secundum modum conditionis suæ.

Et non possumus ad hanc plenam perfectionem vitæ christianæ pervenire nisi profunde vivamus ex mysteriis Incarnationis redemptivæ et Eucharistiæ, nisi ea penetremus et gustemus per fidem donis intellectus et sapientiæ illustratam. Ad hoc quidem valde subservit theologiæ studium, dummodo recte ordinetur, non ad satisfactionem nostram, sed ad Deum magis cognoscendum et ad salutem animarum.

Sic magis ac magis verificari possunt in nobis hæc pulchra Concilii Vaticani (Denz. 1796), quæ velut definitionem Sacræ Theologiæ continent: “*Ratio fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quærit, aliquam Deo dante mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum quæ naturaliter cognoscit analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo...*”

Studium sacræ theologiæ, quandoque difficile, arduum, sed fructuosum, sic mentes nostras disponit ad lumen contemplationis et vitam quod est quasi introductio et quædam vitæ æternæ inchoatio.

PROLOGUS SUMMÆ THEOLOGIÆ.



In hoc Prologo sanctus Thomas intentionem suam exprimit, scil.: ea que ad religionem christianam pertinent, eo modo tradere secundum quod congruit *ad eruditionem incipientium*, quia Doctor catholicus debitor est omnibus etiam parvulis.

Sed ex explicatione hujusce propositi constat hoc opus convenire novitiis, non quia solum de elementis tractaret, sed quia in eo omnes quæstiones traduntur *secundum ordinem disciplinæ*, et non secundum occasionem disputandi, et cum multis quæstionibus inutilibus ac repetitionibus ut in pluribus operibus antecessorum. Sacra Scriptura continet ordinem caritatis seu omnium affectuum sub amore Dei, inquirendus est insuper ordo logicus ipsius corporis doctrinæ christianæ.

Unde Summa sancti Thomæ non est in sua intentione opus solum elementare, nam, ut notat Cajetanus, omnes theologales difficultates ex propriis hic distincte tractantur. Jam in hoc prologo, sanctus Thomas apparet ut magnus classicus sacræ Theologiæ, propter suam simplicitatem superiorem quæ est velut explicatio sensus communis et sensus christiani. Hæc simplicitas valde differt a complicatione expositionis Scoti.

Ut videbimus in principio quæstionis II^æ, ordo hujusce operis est didacticus et stricte theologicus. Longe melius sanctus Thomas disposuit quæstiones quam Magister sententiarum aut quam Alexander Halensis, et hoc non solum in genere, sed in particulari. In Summa Doctoris angelici, omnes quæstiones considerantur per respectum ad Deum, objectum proprium theologiæ, potius quam per respectum ad hominem et libertatem ejus. Hæc conceptio vocari potest igitur theocentrismus, et non anthropocentrismus, ut est psychologismus multorum modernorum.

Index

hujus tomi I

Introductio.....	5	Art. 2- Utrum Deus sit summum bonum.....	109
I- De momento ac significatione Summæ Theologicæ sancti Thomæ.....	5	Art. 3- Utrum esse bonum per essentiam sit proprium Dei.....	109
II- De methodo sancti Thomæ.....	8	Art. 4- Utrum omnia sint bona bonitate divina.....	110
III- De studii theologici relatione cum vita interiori.....	17	Qu. VII- De infinitate Dei.....	111
Prologus.....	21	Art. 1- Utrum Deus sit infinitus.....	111
Qu. I- De sacra doctrina, qualis sit, et ad quæ se extendat.....	23	Art. 2- Utrum aliquid aliud quam Deus possit esse infinitum per essentiam.....	112
Art. 1- Utrum sit necessarium, præter philosophicas disciplinas, aliam doctrinam haberi.....	23	Art. 3- Utrum possit esse aliquid infinitum actu secundum magnitudinem.....	113
Art. 2- Utrum sacra doctrina sit scientia.....	24	Art. 4- Utrum possit esse infinitum in rebus secundum multitudinem.....	114
Art. 3- Utrum sacra doctrina sit una scientia.....	31	Qu. VIII- De existentia Dei in rebus.....	118
Art. 4- Utrum sacra doctrina sit scientia practica.....	33	Art. 1- Utrum Deus sit in omnibus rebus.....	118
Art. 5- Utrum sacra doctrina sit dignior aliis scientiis.....	34	Art. 2- Utrum Deus sit ubique.....	122
Art. 6- Utrum hæc doctrina sit sapientia.....	37	Art. 3- Utrum Deus sit ubique per essentiam, præsentiam et potentiam.....	122
Art. 7- Utrum Deus sit subjectum hujus scientiæ.....	39	Art. 4- Utrum esse ubique sit proprium Dei.....	123
Art. 8- Utrum hæc doctrina sit argumentativa.....	42	Qu. IX- De Dei immutabilitate.....	125
Art. 9- Utrum Sacra Scriptura debeat uti metaphoris.....	43	Art. 1- Utrum Deus sit omnino immutabilis.....	125
Art. 10- Utrum Sacra Scriptura sub una littera habeat plures sensus.....	44	Art. 2- Utrum esse immutabile sit Dei proprium.....	126
De Deo, an Deus sit.....	47	Qu. X- De Dei æternitate.....	128
Qu. II- De Deo, an Deus sit.....	49	Art. 1- Utrum convenienter definiatur æternitas, quod est interminabilis vitæ tota simul et perfecta possessio.....	128
Art. 1- Utrum Deum esse sit per se notum.....	49	Art. 2- Utrum Deus sit æternus.....	130
Art. 2- Utrum Deum esse sit demonstrabile.....	54	Art. 3- Utrum esse æternum sit proprius Dei.....	131
Art. 3- Utrum Deus sit.....	65	Art. 4- Utrum æternitas differat a tempore.....	132
De natura Dei et de ejus attributis in communi.....	75	Art. 5- De differentia ævi et temporis.....	133
Qu. III- De Dei simplicitate.....	82	Art. 6- Utrum sit unum ævum tantum.....	134
Art. 1- Utrum Deus sit corpus.....	82	Qu. XI- De unitate Dei.....	136
Art. 2- Utrum in Deo sit compositio formæ et materiæ.....	83	Art. 1- Utrum unum addat aliquid supra ens.....	136
Art. 3- Utrum sit idem Deus quod sua essentia vel natura.....	84	Art. 2- Utrum unum et multa opponantur.....	138
Art. 4- Utrum in Deo sit idem essentia et esse.....	85	Art. 3- Utrum Deus sit unus.....	139
Art. 5- Utrum Deus sit in genere aliquo.....	88	Art. 4- Utrum Deus sit maxime unus.....	140
Art. 6- Utrum in Deo sint aliqua accidentia.....	89	Qu. XII- Quomodo Deus a nobis cognoscatur.....	142
Art. 7- Utrum Deus sit omnino simplex.....	90	Art. 1- Utrum aliquis intellectus creatus possit Deum videre per essentiam.....	142
Art. 8- Utrum Deus in compositionem aliorum veniat.....	91	Art. 2- Utrum essentia Dei ab intellectu creato per aliquam similitudinem videatur.....	156
Qu. IV- De Dei perfectione.....	97	Art. 3- Utrum essentia Dei videri possit oculis corporalibus.....	161
Art. 1- Utrum Deus sit perfectus.....	97	Art. 4- Utrum aliquis intellectus creatus per sua naturalia divinam essentiam videre possit.....	162
Art. 2- Utrum in Deo sint perfectiones omnium rerum.....	97	Art. 5- Utrum intellectus creatus ad videndum Dei essentiam aliquo creato lumine indigeat.....	166
Art. 3- Utrum aliqua creatura possit esse similis Deo.....	98	Art. 6- Utrum videntium essentiam Dei unus alio perfectius videat.....	170
Qu. V- De bono in communi.....	101	Art. 7- Utrum videntes Deum per essentiam ipsum comprehendant.....	171
Art. 1- Utrum bonum differat secundum rem ab ente.....	101	Art. 8- Utrum videntes Deum per essentiam omnia in Deo videant.....	171
Art. 2- Utrum bonum secundum rationem sit prius quam ens.....	102	Art. 9- Utrum ea quæ videntur in Deo a videntibus divi-	
Art. 3- Utrum omne ens sit bonum.....	104		
Art. 4- Utrum bonum habeat rationem causæ finalis.....	104		
Art. 5- Utrum ratio boni consistat in modo, specie et ordine.....	105		
Art. 6- Utrum convenienter dividatur bonum per honestum, utile et delectabile.....	106		
Qu. VI- De bonitate Dei.....	108		
Art. 1- Utrum esse bonum Deo conveniat.....	108		

nam essentiam per aliquas similitudines videantur.	172
Art. 10- Utrum videntes Deum per essentiam simul videant omnia quæ in ipso vident.	173
Art. 11- Utrum aliquis in hac vita possit videre Deum per essentiam.	173
Art. 12- Utrum per rationem naturalem Deum in hac vita cognoscere possimus.	173
Art. 13- Utrum per gratiam habeatur altior cognitio Dei quam ea quæ habetur per rationem naturalem.	173
Qu. XIII- De nominibus Dei.	175
Art. 1- Utrum aliquod nomen Deo conveniat.	175
Art. 2- Utrum aliquod nomen dicatur de Deo substantialiter.	177
Art. 3- Utrum aliquod nomen dicatur de Deo proprie.	179
Art. 4- Utrum nomina dicta de Deo sint nomina synonyma.	179
Art. 5- Utrum ea quæ de Deo dicuntur et creaturis, univoce dicantur de ipsis.	180
Art. 6- Utrum nomina per prius dicantur de creaturis quam de Deo.	183
Art. 7- Utrum nomina quæ important relationem ad creaturas, dicantur de Deo ex tempore.	184
Art. 8- Utrum hoc nomen Deus sit nomen naturæ.	187
Art. 9- Utrum hoc nomen Deus sit communicabile.	188
Art. 10- Utrum hoc nomen Deus univoce dicatur de Deo per participationem, secundum naturam, et secundum opinionem.	188
Art. 11- Utrum hoc nomen qui est sit maxime nomen Dei proprium.	188
Art. 12- Utrum propositiones affirmativæ possint formari de Deo.	188
Qu. XIV- De scientia Dei.	190
Art. 1- Utrum in Deo sit scientia.	190
Art. 2- Utrum Deus intelligat se.	192
Art. 3- Utrum Deus comprehendat seipsum.	193
Art. 4- Utrum ipsum intelligere Dei sit ejus substantia.	193
Art. 5- Utrum Deus cognoscat alia a se.	194
Art. 6- Utrum Deus cognoscat alia a se propria cognitione.	197
Art. 7- Utrum scientia Dei sit discursiva.	198
Art. 8- Utrum scientia Dei sit causa rerum.	198
Art. 9- Utrum Deus habeat scientiam non entium.	201
Art. 10- Utrum Deus cognoscat mala.	201
Art. 11- Utrum Deus cognoscat singularia.	202
Art. 12- Utrum Deus possit cognoscere infinita.	203
Art. 13- Utrum scientia Dei sit futurorum contingentium.	204
Art. 14- Utrum Deus cognoscat enuntiabilia.	213
Art. 15- Utrum scientia Dei sit variabilis.	213
Art. 16- Utrum Deus de rebus habeat scientiam speculativam.	214
Qu. XV- De ideis.	215
Art. 1- Utrum ideæ sint.	215
Art. 2- Utrum sint plures ideæ.	215
Art. 3- Utrum omnium quæ cognoscit Deus, sint ideæ	215
Qu. XVI- De veritate.	217
Qu. XVII- De falsitate.	219
Qu. XVIII- De vita Dei.	220

Qu. XIX- De voluntate Dei.	221
Art. 1- Utrum in Deo sit voluntas.	221
Art. 2- Utrum Deus velit alia a se.	225
Art. 3- Utrum quidquid Deus vult, ex necessitate velit.	230
Art. 4- Utrum voluntas Dei sit causa rerum.	234
Art. 5- Utrum voluntatis divinæ sit assignare aliquam causam.	236
Art. 6- Utrum voluntas Dei semper impleatur.	237
Art. 7- Utrum voluntas Dei sit mutabilis.	251
Art. 8- Utrum voluntas dei necessitatem rebus volitis imponat.	251
Art. 9- Utrum voluntas dei sit malorum.	263
Art. 10- Utrum Deus habeat liberum arbitrium.	264
Art. 11- Utrum sit distinguenda in Deo voluntas signi.	264
Art. 12- Utrum convenienter circa divinam voluntatem ponantur quinque signa.	264
Qu. XX- De amore Dei.	268
Art. 1- Utrum amor sit in Deo.	268
Art. 2- Utrum Deus omnia amet.	269
Art. 3- Utrum Deus æqualiter diligat omnia.	270
Art. 4- An Deus semper magis diligat meliora.	270
Qu. XXI- De justitia et misericordia Dei.	273
Art. 1- Utrum in Deo sit justitia.	273
Art. 2- Utrum justitia Dei sit veritas.	274
Art. 3- Utrum misericordia competat Deo.	277
Art. 4- Utrum in omnibus operibus Dei sit misericordia et justitia.	278
Qu. XXII- De providentia Dei.	281
Art. 1- Utrum providentia Deo conveniat.	281
Art. 2- Utrum omnia sint subjecta divinæ providentiæ.	285
Art. 3- Utrum Deus immediate omnibus provideat.	288
Art. 4- Utrum providentia rebus provisus necessitatem imponat.	290
Qu. XXIII- De prædestinatione.	293
Art. 1- Utrum homines prædestinentur a Deo.	302
Art. 2- Utrum prædestinatio aliquid ponat in prædestinatione.	304
Art. 3- Utrum Deus aliquem hominem reprobet.	305
Art. 4- Utrum prædestinati eligantur a Deo.	307
Art. 5- Utrum præscientia meritorum sit causa prædestinationis.	308
Art. 6- Utrum prædestinatio sit certa.	317
Art. 7- Utrum numerus prædestinatorum sit certus.	318
Art. 8- Utrum prædestinatio possit juvari precibus sanctorum.	319
Qu. XXIV- De libro vitæ.	320
Qu. XXV- De divina potentia.	321
Art. 1- Utrum in Deo sit potentia.	321
Art. 2- Utrum potentia Dei sit infinita.	321
Art. 3- Utrum Deus sit omnipotens.	321
Art. 4- Utrum Deus possit facere quod præterita non fuerint.	321
Art. 5- Utrum Deus possit facere quæ non facit.	322
Art. 6- Utrum Deus possit meliora facere ea quæ facit.	322
Qu. XXVI- De divina beatitudine.	324
Art. 1- Utrum beatitudo Deo competat.	324
Art. 2- Utrum Deus dicatur beatus secundum intellectum.	324

Nota Bene : Des annexes plus complètes de l'ensemble de nos ouvrages sont disponibles sur notre site internet www.scholasapientiae.fr. Elles sont régulièrement actualisées.

Achevé d'imprimer aux Pays-Bas
par Pumbo.fr,
le 21 avril 2021,
en la fête de saint Anselme de Cantorbéry

Dépôt légal : février 2021
ISSN : 2426-2064 (GL n°1)